



DE
FERIIS SERVORVM

PRAEFATVS

ORATIONEM ANNIVERSARIAM

BENEFICIO

ECCARDO-RICHTERIANO

DICATAM

INDICIT

ET

AD EAM AVDIENDAM

INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN,

RECT. GYMNI.

FREIBERGAE,

Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXXXV.

Quum homines in statu naturali consideramus, omnes omnino sunt aequales, ab vno nimirum domino dependentes. Vbi vero, peccato interueniente, conditio illorum in deterius mutata, atque ex paucis plures euaserunt, seruitus et dominium simul inualuerunt. Qua mente iamdudum Essaei, seruos ad iniuriam communis naturae pertinere, adfirmabant, a) et CHRYSOSTOMVS idem suspicatur, b) ad exempla primorum hominum prouocans, siquidem neque Abel, neque Sethus, neque Noachus seruos habuisse leguntur. Neque ab hac sententia alienus fuit episcopus in Gallia Viennensis celeberrimus, ALCIMVS AVITVS, qui, historiam Noachi exponens, et eorum in numero, quos hic in arcam secum duxerat, nullum seruum deprehendens, ita canit: c)

*Tunc Noachum cunctosque suos natosque iurisque
Excipit expectans claustrum, vitaeque reponit.
Nam seruos nondum dederat fortuna vocari,
Nec dominos famulis discernere nauerat ordo.
Primus enim maculam seruili nomine fuisse
Huius natorum minimus.*

Quaquam autem ex eo tempore homines in dominos et seruos dispescebantur: non tamen una ratione serui fiebant. Alii enim operam suam dominis non nisi ad certum tempus elocabant: alii vero se ipsos ad omne vitae tempus aliis vendebant: quorum illi mercenarii, hi autem mancipia dicebantur. Et domini quidem, qui emtionis iure seruos sibi comparauerant, aliis hos vel vendere rursus poterant, vel donare: d) quos autem in hoc seruitutis statu filios procreabant, vernæ adpellabantur.

Vnde etiam conditio seruorum vel durior vel tolerabilior erat, prout scilicet heri vel duri, austeri et nobiles erant, vel mansueti, mites et ignobiliores: id quod exemplis Hebræorum, Græcorum et Romanorum probatur. Nam licet Hebraei a Deo ex Aegyptiorum seruitute acerbissima in libertatem adserti essent, et hoc beneficium singulari memoria recoleretur: e) certi tamen casus eueniebant, quibus seruitus contrahebatur. Multi enim, paupertate compulsi, seipfos vendebant: f) alii, qui in bello capiebantur, serui fiebant: g) alii, aere alieno oppressi, h) et alii in furto deprehensi seruituti mancipabantur. i) Et quia non personae Hebraeorum, sed operae ipsorum vendebantur, ipsum etiam seruitutis tempus certis limitibus definitur, hoc mandato diuino praescriptum: k) Sex annos seruus tuus esto, septimo autem anno gratis in libertatem ressi-

a) Ioseph. Antiqv. Lib. XVIII. 2.

b) in Epist. ad Ephes. Homil. XXII.

c) in Poemat. L. IV.

d) Gen. XX, 14. XXI, 24-29.

e) Lev. XXV, 55.

Deut. XV, 12. Ioh. VIII, 33.

f) Lev. XXV, 39.

g) Iudic. V, 30.

2 Chron. XXVIII, 10.

h) 2. Reg. IV, 1. Matth. V, 25.

i) Exod.

XXII, 3.

k) Exod. XXI, 2.

resistitor. Quod vero mercenarios affinet, alii erant diurni, l) alii annui, m) et alii triennes. n) Ex quo cognosci potest, qua moderatione et humanitate Hebraei suos erga seruos usi fuerint.

Neque deterioris conditionis seruos apud Graecos fuisse, annales rerum publice gestarum docent. Et Lacedaemonii quidem, quo studiosiores pugnandi et venandi erant, eo plures seruos alebant, vt reliqua negotia hi procurarent, quae necessitas imperabat. Quoniam vero tali modo maior in eorum republica, numerus seruorum, quam ingenuorum erat, hoc nomine aliarum gentium contumeliam contrahebant. o) Imo quia aliquando seruis iusto durius abusi fuerant, ipsos deos eorum immanitatem grauissimis poenis vitos esse, AELIANVS his verbis narrat: o) *ὅτε οἱ Λακεδαιμόνιοι τὰς ἐκ Ταναραῖς ὁμητικὰς παρασπονδῶσαντες ἀνεῆσαν καὶ ἀπειτεῖναν, (ἦσαν δὲ ὁμητικὰ τῶν Ἑλλήτων) κατὰ μῆνη τὰ Ποσειδῶνος σεῖσμος ἐπίπετον τῇ Σπάρτῃ τὴν πολὺν ἀνδρείστατα κατέσεν, ὡς πέντε μόνας ἀπολειφθῆναι ἐξ ἀπώσης τῆς πόλεως, ἢ e. quum Lacedaemonii seruos ex Taenari (templo) contra fidem datam eiecissent et occidissent, (erant autem hi serui ex genere Helotarum) per iram Neptuni, (cui id sacrum erat,) terrae motus Spartam aggrediens urbem vehementissime concussit, vt ex vniuersa urbe non nisi quinque aedificia relinquereentur. Quo super loco quidem Iac. PERIZONIVS q) multis verbis, sed frustra, disputat, ὁμητικὰς in ἰκετὰς permutaturus, et seruos in supplices conuersurus. Nam quis ignorat, Helotas seruos fuisse, quorum hoc loco diferta fit mentio. Contra vero Athenienses maiorem hominum liberorum atque ingenuorum quam seruorum rationem habebant, quia illos magis quam hos idoneos esse ad artes et opificia exercenda, videbant. Quo consilio Solon ciuibs suis suauor et auctior erat, vt cauendo prouiderent, ne sua in republica numerus seruorum augetur. r) Inprimis autem propensa eorum voluntas erga seruos ex eo elucebat, quod certos dies festos et ferias illis concedebant, quibus non modo cessatio a laboribus ordinariis indulgebatur, sed etiam singularis honor iis praestabatur.*

Huius generis ANTHESTERIA erant, in Bacchi honorem ad tres dies, nempe vndeimum, duodecimum, et decimum sextum mensis Anthesterionis instituta, qui nostro Aprilii respondet, nomen ἀπο τῶν ἀνθων nactus, quod eo tempore omnia resflescant. Tunc vero seruis publica gaudia obire, et pro luitu computare et comessari licebat, donec diebus festis publice proclamaretur: *Θυράζε, κάραι, ἐκ ἐτι ἀνθστηρια*, h. e. recedite Cares serui, quia dies festi finiuntur. s) Quod dictum HESYCHIVS his verbis illustrat: *ἰ) παροιμία, ἣν οἱ μὲν διὰ τὸ πλῆθος ὁμητικῶν τῶν Καρῶν εἰσελάτῃ φασιν, ὡς ἐν τοῖς Ἀνθστηρίοις ἐνώχουμεῖων αὐτῶν καὶ ἐκ ἐργαζόμενων*, h. e. quidam dicunt, hoc prouerbiū ad multitudinem mancipiorum ex Caria ad hanc solennitatem confluentium refertur,

l) Iob. XIV, 6. Matth. XXI, 1. m) Ies. XXI, 16. n) Ier. XVI, 14.

o) Aristot. Polit. II, 7. p) Var. L. VI, Cap. 7. q) in nott. ad h. l.

r) Plutarch. in Solonc. s) Potteri Archaeol. Gr. L. II, c. 120. t) Lex. ad h. v.

ferri, feruis Atheniensium per festos Anthesteriorum dies laute viuentibus: et ab omni labore abstinentibus. Copiosius vero de iis STVCKIUS exponit. u)

His fere familia HERMAEA erant, ab Hermete vel Mercurio nomen sortita, cuius honori Cretenses ea consecrauerant, hoc consilio instituta, ut domini feruis conuuantibus suoque genio indulgentibus famularentur. Quas seruorum ferias ATHENAEVS cum Saturnalibus Romanorum non male comparat, his usus verbis: w) *ἑλληνικὸν τὸ τοῦ ἔθους ἐν Κρήτῃ γενετῆ των Ἑρμαίων ἑσθη το ὁμοιον γνηται, ὡς Φησι Καρυσιος ἐν ἱστορικοῖς ὑπομνημασιν. Ευωχήμενῶν γὰρ των οικητων, δι δεσποτου ὑπηρετησι προς ταις διακονιας.* h. e. Consuetudo fere (Saturnalibus) similis in Graecia apud Cretenses inualuerat, ubi in diebus festis Hermaeorum, quod Carystius in commentariis historicis refert, feruis epulantibus domini famulabantur.

Sunt etiam, qui festos dies PANEGYRA dictos inter ferias seruorum referunt. Hi vero procul dubio, verbis ATHENAEI seducti, Hermaea, de quibus ille agit, alio nomine adpellarunt, et ex una duas solennitates fecerunt. Ita vero ille: x) *Καὶ ἐν Τροάδῃ μὲν Γερασιῶν πανηγυρις γνηται πολυημερος, ἥς ἐν μίᾳ οἱ δελοὶ μετα των πολιτων κονη τε ἀπαραγαλιζεισι, καὶ οἱ κυριοὶ τας δελας ἐσιῶσι.* h. e. idem sit apud Troezenios mense Gerastione, quo per multos dies conuentus publici aguntur, quorum primo die serui cum ciuibus publice talis ludunt, et domini seruis conuiuia adparant.

Maiori autem fama PELORIA apud Thessalos celebrabantur, quorum originem et rationem ATHENAEVS disertis verbis tradit, y) quae propter chartae angustiam Latine conuersa repetemus. Quum Pelasgi victimas diis publice immolarent, Pelorus, seruus quidam, nunciabat, montibus Thessaliae, qui Tempe dicebantur, ingenti terrae motu concussis, aquam vasto hiatu erupisse, quae in Penci alueum defluebat. Quo facto, nouam planitiem, eamque satis amplam atque amoenam adparuisse. In cuius rei memoriam Thessalos seruo Peloro lautam mensam instruxisse, neque illos, qui dignitate antecellebant, ministerium suum feruis conuiuantibus detrectauisse. Et, ut eo illustriorem hanc celebritatem redderent, aduenas et peregrinos quotannis his epulis exceptos, carceribus autem mancipatos vinculis exsolutos fuisse. Eiusdem solennitatis etiam EVSTATHIUS mentionem facit. z)

Eundem in censum PITHOEGIA referri debent, quae Baccho dedicata à πιδος, dolium, et οἶνος, aperio, nomen habebant, hanc ob causam, ita adpellata, quod eo tempore vasa relinebantur et vina diffundebantur. Quem morem PROCLVSA) his verbis indicat: *ἐν τοῖς πατριοῖς ἐστὶν ἑσθη πιδογία, καὶ ἦν εἰς εἰς ἀματην εἰς μωδωτον εἰργειν της ἀπολαυσεως τῆς οἴνου, θεμιτον ἦν.* h. e. patria more receptum est

u) Antiquit. Conuival c. 30. p. 201. w) Dipnosoph. L. 14. x) l. c. y) l. c. z) ad Hom. Iliad. β. a) ad Hesiod. Op. et D. v. 368.

est festum Pithoegiorum, quo neque seruum neque mercenarium vini usu prohiberi, fas est. Neque PLVTARCHO eadem fuisse ignota, haec eius verba docent: b) *τὸν ἕνα ἡμέραν καλεῖντες, h. e. Athenienses nouo vino uti undecimo die mensis Anthesterionis incipiunt, diem Pithoegiam adpellantes. Idem alio loco addit, eosdem dies festos alio nomine ἀγαθὸς δαίμωνος, h. e. boni genii nominatos fuisse. c)*

In primis vero SACAEA in multa celebritate versabantur, quae HESYCHIVS habita originis ratione *ἑορτήν Σκυθικὴν, festum Scythicum* adpellat, d) ATHE-
 NAEVS, autem Babylone primum instituta fuisse, refert: e) unde ad Persas, et tandem ad Graecos haec feriae in gratiam seruorum transferunt. Ita enim DIO CHRYSOSTOMVS: f) *ἐκ ἐνενοήσεως τὴν Σακκὰν ἑορτήν, ἣν Πέρσαι ἀγασσάουσιντες, δεσποτῶν ἕνα τῶν ἐπιθάνατος τε καθίζουσι εἰς θρόνον τε βασιλεως, καὶ τὴν ἐδῆτα δίδουσι αὐτῶ τὴν αὐτῆν, καὶ τροφῆν, καὶ ταῖς παλλακαῖς χρησαίμερας ἐκείνας τε βασιλεως, καὶ εὐδαιμονίας καὶ καλῶν ποιεῖν αὐτοῖς.* h. e. *an Isoleme Sacaeorum festum ignoras, quod Persae celebrant, ubi victoriam aliquem, qui duci ad supplicium debet, in sella regis collocant, veste regia ornatum, eique potestatem faciunt, delicate et molliter viuendi, regisq; pellicibus eos per dies utendi, neque quisquam eum impedit, quominus faciat, quicquid voluerit. Et nomen quidem Sacaeorum H. CASAVBONVS g) ab Hebraico שפח, Sefach, derivandum censet, quod Babylonis cognomen in ipsis sacris litteris obuerfatur: h) ex quo etiam Melach, unus ex focis Danielis natales suos repetit. i) Contra vero SAM. BOCHARTVS k) idem nomen ex Persico شاه, rex, deducit, quod adhuc in ludo latrunculorum reperitur, ubi شاه Schach-mât, idem significat, ac, rex mortuus est. Cum qua etymologia ATHENAEI descriptio fere convenit, qua hanc solennitatem repraesentat: l) *Βαβυλωνιακὸν τῷ Λαῷ μὲν ἐκκαίδε κατὰ ἀγέδαι ἑορτὴν Σακκικὴν προσαναγορευομένην ἐπιήραρας πεντε, ἐν αἷς ἔδος ἦν, ἀρχεδαίτες δεσποτῶν ὑποτασσόμενοι, ἀφ' ἡγεῖσθαι τε τῆς οἰκίας ἕνα αὐτῶν ἐνδεδικότα σολὴν οὐκίαν τῆ βασιλῆα.* h. e. *in mense Babyloniōrum Loo die decimo sexto per quinque dies festum celebrabatur, quod Sacaea adpellatur, ubi mos erat, ut mancipia dominis imperarent, et ex seruis unus domui praeficeret, veste regiae simili indutus.**

Iam vero, missis Graecis, ad Romanos devenimus, ferias solennes et publicos honores visuri, quos hi seruis suis concesserunt. Et horum quidem conditio apud eos admodum dura erat, siue per nascendi sortem, siue per captiuitatem, siue per ignominiam tales facti erunt. Nam potu et cibo vilissimo sustentabantur,

b) Sympos. L. III. Qu. 7. c) id. L. IX. Qu. 10. d) Lex ad h. v.
 e) Dipn. L. 14. f) De regno. Orat. 4. g) Animadvers. in Athen. p. 574. h) Ier. XXV, 6. l) Phaleg. L. II. c. 21. i) Dan. I, 7. k) Phaleg. L. II. c. 21. l) Phaleg. L. II. c. 21.

tur, et vestibus leuissimi pretii induebantur, quales erant dipthera, lacerna, penula, cucullus atque exomis. Pro signo autem habebant aurēs subula pertusas, quas **IVVENALIS** fenestras adpellat, m) et quem morem ex historia sacra suffurati esse videntur. n) Si quid vero deliquerant, acerbissimis suppliciis castigabantur. Quam inhumane ipse Romanus, **SENECA**, his verbis detestatur: n) *multa alia inhumana et crudelia praeterco, quod seruis ne tanquam hominibus quidem, sed tanquam iumentis abutimur, atque in eos superbissimi et contumeliosissimi sumus.* Cuius generis poenas quasdam apud **TERENTIVM** seruis Geta recenset: o) *berus si redierit, molendum usque in pistrino, vapulandum, habendae compedes, opus ruri faciundum, etc.* Qua mente etiam furciferi, flagrones, mallegiae, verberones, cruciarii, etc. per contemptum vocitabantur. Quia vero natura humana semper ad libertatem magis, quam ad seruitutem propendit, et, **CICERONE** iudice, p) seruitus omnium malorum est postremum, non modo bello, sed morte etiam repellendam; quum praeterea Romani experiendo cognouissent,

- quod non sit bellua tetrrior vlla,
quam serui rabies, in libera colla ruentis; q)

et quum in memoriam illud periculum reuocarent, quod Catilina, seruis concitatis, vbi intentauerat, r) itemque bellum seruile in Sicilia exortum, in quo multa millia ciuium occubuerant: s) mitius cum seruis agendum esse, censebant. Et hoc consilio licentia dominorum in seruos ab Augusto non modo certis limitibus circumscribebatur, sed etiam grauissimis comminationibus coerceretur, imo publicis mandatis comprimebatur, quae sequioris aetatis imperatores Claudius, Hadrianus, Antoninus Pius et Constantinus renouabant. t) Et quo testator praesidio niterentur. Qua mente **SENECA** ciues, qui seruos male habebant, his verbis obiurgabat: u) *Visne cogitare, istum, quem tu seruum vocas, ex iisdem seminibus ortum esse? eodem caelo frui? et aequae spirare, aequae viuere, et aequae mori?*

Singularis autem et omnium summus honor, quo Romanorum serui adficebantur, festis diebus prodebat, qui sacri illis erant, et qui non modo vacationem ab omni labore iis concedebant, sed dominandi etiam facultatem aliquamdiu indulgebant: quos dies poeta haud immerito adpellat

festos seruorum, quum famulantur heri xv)

Hos inter dies solennes primo loco **MATRONALIA** poni merentur, quae ipsis calendii primi mensis, Martii, celebrabantur, et quidem in memoriam belli inter Romanos

m) Sat. I. r. 4.

m) Exod. XXI, 6.

n) Epist. 47.

o) Phorm. Act. II, Sc. I.

p) Orat. Philipp. II, c. 41.

q) *Claudiam*, in Eutrop. I. 83.

r) Orat.

Catili. IV, 6.

s) *Flor.* L. III. 20.

t) *Heinæc. Antiquité Rom.*

L. I. T. 8. §. 4.

u) Epist. 47.

w) *Auson. de ser. Rom.* num. 15.

Romanos et Sabinos a matronis diremti, quod factum OVIDIVS copiose exponit. x) In his feriis feruiles labores non solum remittebantur, sed in tresfamilias etiam famulis coenantibus seruitia praestabant. Quod institutum Romulus sapienti consilio commendauerat, ut sub auspiciis anni domini seruos suos hac ratione ad novam fidem, industriam atque obsequium inuitarent.

Septuaginta NONÆ CAPROTINAE, h. e. feriae ad diem septimum ante nonas mensis Iulii institutae, quae nomen a caprisco, hoc est, sicu syluestri et nunquam maturescente, acceperunt, sub qua quotannis stato illo die in memoriam singularis virtutis ab ancillis quondam praestitae, Romani sacrificabant, ancillae vero splendidis vestibus ornatae et elegantissime comitae confluebant, et una cum seruis genio suo libere indulgebant. y)

Has ferias ille dies festus excipiebat, qui idibus sextilibus, h. e. decimo quinto die mensis Augusti celebrabatur, et quidem utriusque sexus seruis dedicatus, quo non solum a laboribus vacabant, sed etiam liberaliter tractabantur, ipsi dominis seruorum officia obeuntibus. Cuius origo haec est. Quia rex Tullus Seruius Oerisiam ancillam matrem habuit, illius memoriam hac solemnitate conseruari et restaurari quotannis voluit. z) Tunc vero serui atque ancillae pretiosissimis dominorum et herarum vestibus induebantur, cum dominis accumbentes, et ludentes: de quibus feriis hunc in modum SENECA disputat: a) maiores hunc diem festum instituerunt, quo non solum domini cum seruis vescerentur, sed etiam honores in domo gerere, et ius dicere illis permittebant.

Inter omnes autem ferias seruis destinatas SATVRNALIA eminebant, quae a die XVII. mensis decembris initium capiebant, et septimo demum die finiebantur. Has nomen a Saturno traxisse, constat, qui IVSTINO teste, b) rex Aboriginum et tanta iustitia fuit, ut neque vilius sub eo seruus esset, neque quisquam aliquid rei privatae haberet; unde etiam auream aetatem Saturnia regna VIRGILIUS adpellauit. c) Inprimis vero seruis, his festis diebus omnis libertatis impune permittebatur, qui dominos simulabant. Hoc DION. HALIC. his verbis testatur: d) οἱ δέλοι το των δεσποτων χημα μεταλαμβανοντες εορταζον. Cum quo ATHENAEVS consentit: εἰς κατακλινοιας μετα πασης παρερητιας εἰσαν, διακονοντων αυτοις των δεσποτων, etc. et iterum: e) ταις των Κρενιων ημεραι: εἰδος εἰς Ρωμαιων παιτων εἰσαν τες οικετας, αυτες τας των οικετων αναδεχομενες λατρειας.

Ad extremum COMPITALIA his seruorum feriis adiungi merentur, quae diis sacra erant, viarum at compitorum praesidibus. Quorum celebrandorum modum

y) *Macrob. Saturn.* p. 295.

b) *Lib. XXXIII. 1.*

z) *Plutarch. Quaest. Rom. T. II p. 287.*

c) *Ecl. IV, 6. VI, 41.*

d) *L. 58.*

a) *Ep. 47.*

e) *l. c.*

modum eum Saturnalibus fere conuenisse, MACROBIVS docet. f.) Romanos autem eorum rationem et usum a Græcis accepisse, verbis VIRGILII vero fit simile, canentis:

*proscenia ludī
praemiaque ingentes pagos et compita circum
Theseidae posuere. g)*

Præcipuam vero servis hi dies fessi dignitatem adferebant. Nam eo tempore ab omnibus laborum vinculis soluti ipsorum dominorum seruitio fruebantur. Quae pluribus IS. CASAVBONVS persequitur. h)

Hoc autem de seruorum feriis argumentum ad eam orationem viam patet, quam vnus commilitonutu nostrorum, qui famuli scholastici partibus adhuc fideliter perfunctus, et beneficiis, huius prouinciae comitibus, non male usus est, antequam discessionem a nobis faciat, habebit, simul vero anniuersariam memoriam beneficii ECCARDO- RICHTERIANI, quo tanquam viatico bonae notae iuuenes academiam petitori instruuntur, debita praedicatione colet et restaurabit. Is vero est

IO. GOTTFR. BOERNER, Mitsu.

qui, dum nobiscum fuit, seruili se ingenio carere, omnino testatum fecit, promte atque alacriter ea exsequutus, quae industrium Musarum seruum ornant et commendant, et dignus, qui scholam inferiorem cum superiore permutet. Et quia adhuc ex litteris publicis perspexit, quam aduersa fortuna Turcae vtantur, contra Russos arma ferentes, inter alias rei male gestae causas hanc non esse postremam, statuit, quia hi exercitiis bellicis adsueta facti a duro vitae genere non abhorrant, illi vero longo iam tempore deliciis imbuti sunt, et omnis generis voluptatibus mancipati. Quo consilio *gentes orientales imprimis seruituti addictas* Latino sermone repraesentabit, Quo facto ex commilitonum coetu

Christ. Gottl. Weber, Miltic.

piis et religiosis votis abiturum amicum prosequetur, carmine Theotisco de *miserâ seruitute hominis sui ipsius amore capti*, pauca praefatus.

Vt igitur Vos, PATRONI et litterarum FAVTORES, suis quique honoribus ornatissimi, praesentia Vestra exoptatissima studia discipulorum ac docentium excitare, et cras, hora ante meridiem nona ad audiendos nostros tirones beneuolè accedere velitis, ea qua par est, pietate atque obsequio rogo et contendo.

Freibergae. a. d. XXI. Febr. A. R. S.

MDCCLXX.

f) Liv. Hist. L. LXXII. 1.

h) l. c.

g) Georg. II, 382.

Yb 627

ULB Halle
001 508 164

3



(811148)

TA → OL





1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DE
FERIIS SERVORVM

PRAEFATVS

ORATIONEM ANNIVERSARIAM

BENEFICIO

ECCARDO-RICHTERIANO

DICATAM

INDICIT

ET

AD EAM AVDIENDAM

INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN,

RECT. GYMN.

FREIBERGAE,

Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXXXV.